



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

XVI. An Moniali concedi possit egressus, vt petat eleemosynas necessarias
Monasterio?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

Monasterio ad aliud eiusdem Religionis, adhuc in priori casu, ex probabiliori sententia Doctorum deferre non debet; quia inter Monasteria eiusdem Religionis est maior conuenientia, & quasi implicita conditio, vt ad inuicem admittatur Monialium transitus, quando sic expedire visum fuerit, accedente praesertim voluntate Superioris, quae necessaria est in his casibus; & etiam in hoc sensu intelligo id, quod Barbosa de officio, & potest. Episcop. allegat. 102. n. 26. ex Armendar. in Addit. ad recopilat. leg. Nauarra lib. 2. tit. 18. lib. 7. de Relig. num. 100. & 105. refert decifum de dote relinquenda Monasterio, à quo receditur.

DVBITATIO XV.

An Moniali concedi possit egressus, vt visitet Monasteria sibi subiecta? Vbi etiam an recipiat iuramentum fidelitatis à Domino temporali?

S V M M A R I V M.

- 1 Moniali concedi non potest egressus, vt visitet Monasteria sibi subiecta, quia id decentius, & commodius praestari potest per Praelatos regulares.
- 2 Abbatissa, seu Priorissa solum conceditur licentia egrediendi in casibus, in quibus conceditur ceteris Monialibus.
- 3 & 4 Abbatissa non potest egressus licentia concedi in casu, qui possit commode, & facile expediri, seu praestari per alios, & è contra.
- 5 Abbatissa concedi potest licentia egrediendi ad recipiendum iuramentum fidelitatis à Domino temporali, si fieri non possit per Procuratorem.
- 6 Textus in cap. periculofo, §. verum quando de statu Regular. in 6. nullibi apparet correctus, quinimmo per Pium V. omnino confirmatus.
- 7 Abbatissa potest auctoritate iuris egredi è clausura, si superior sine iusta causa licentiam denegat, & euidenter constet de iniustitia ipsius.
- 8 Abbatissa in dubio stare debet iudicio superioris.

- 1 Respondetur ex dictis negatiue, quia licet Monasteria visitare spectet bonum commune Religionis, id tamen non per Abbatissam, sed per Praelatos Regulares decentius, & commodius praestari potest; sic Archidiaz. in cap. periculofo, num. 1. de statu Regular. in 6. Ioan. Andr. ibid. num. 1. & 2. Dominicus. num. 6. & seqq. Ancharan. num. 2. notab. 3. Franch. num. 4. notab. 6. & probatur ex Motu Pij V. qui incipit: *Decori, & honestati*, vbi Pontifex expressè prohibet huius rei causa egressum Abbatissae, & Priorissae cuiuscumque Monasterij, ibi: *Seu aliorum Monasteriorum, etiam eis subiectorum*; & solum licentiam egressus eis concedit in casibus, in quibus conceditur aliis Monialibus, & obtenta licentia, quae requiritur ad egressum aliarum Monialium. Nauar. Comment. 4. num. 47. Notab. 2. & 3. de Regular.
- 3 Ex his sequitur, quod Abbatissa non possit egressus licentia concedi in casu, qui possit commode, & facile expediri, seu praestari per alios, verbi gratia ad significandum camentariis vbinam, & quantumnam debeat esse Ecclesiae aedificium, vel qua forma construendum, necnon ad inuisendum, num illud sibi placeat. Doctores, quos citat, & sequitur Bonacina de clausura, quast. 1. punct. 9. num. 5.
- 4 Sequitur secundo, quod è contra Abbatissae, quin & ceteris Monialibus, possit egressus licentia

concedi in casu, quo non possit per alios praestari, verbi gratia si Monasterium ex iusta causa de loco ad locum mutetur; praesertim quia & in tali casu de bono communi Monialium tractatur. Collector priuilegiorum Mendicant. verb. *Clausura Monialium*, casu 6. & Rodriguez tom. 1. quast. 49. art. 5. coroll. 3. & fauet Tridentinum sess. 25. de Regularib. cap. 5. quatenus ibi statuit, quod Monasteria sita extra Vrbs moenia, ad alia loca intra Vrbem reducantur, si sic Episcopis, & aliis Superioribus visum fuerit.

An autem Abbatissae egressus licentia concedi possit in casu, quo ratione feudi, quod habet Monasterium, iuramentum fidelitatis ab aliquo Principe, vel domino seculari praestari debet, nec potest effici, vt is illud per procuratorem velit praestare?

Respondetur affirmatiue; quia in hoc casu agitur de bono communi Monialium, cum fieri possit, quod iuramento non praestito, feudum in praedictum Monasterij deperdatur; tum quia expressè statuitur in cit. cap. periculofo, §. verum quando, de statu Regular. in 6. quod exire possit Abbatissa decenter, & honestè comitata, vt iuramentum dictum suscipiat, statim, eo suscepto, reditura ad Monasterium; neque huius cap. periculofo, correctio vsquam apparet; quinimmo Pius V. in Motu proprio, Circa Pastoralis, omnia in dicto capite contenta confirmat. Lezana tom. 1. cap. 26. num. 10. & verb. *Clausura*, num. 13. Bonacina de claus. quast. 1. punct. 9. & Syluester verb. Religio 7. quast. 16. dist. 2. vbi rectè subdit, quod si Superior sine iusta causa licentiam denegat, possit Abbatissa auctoritate iuris egredi: quod intellige, si euidenter de iniustitia Superioris constet, non item in dubio, quia in dubio Abbatissa stare debet iudicio Superioris, cum huius, & non Abbatissae, sit causas egressus discutere, & approbare, & cum in facto Superioris delictum non praesumatur.

DVBITATIO XVI.

An Moniali concedi possit egressus, vt petat Eleemosynas necessarias Monasterio?

S V M M A R I V M.

- 1 Moniali conuersa, & non professa conceditur licentia egressus pro quatuor Monasterij, ex dispositione Pij V. & si professa est concedenda, sit annorum 40. & in domibus contiguis extra Monasterium habitet.
- 2 Conuersa professa, si Monasterium habeat, computatis laboribus, sufficientes redditus pro sustentatione, sunt reducenda intra clausuram.
- 3 Conuersa, quae mutantur ad petendas eleemosynas, non debent esse plures quam octo, & quas conditiones habere debeant.
- 4 Conuersis professis non prohibetur exitus ad audienda sacra, & percipienda sacramenta.
- 5 Conuersa, quae egrediuntur de domibus contiguis, quae non sunt Regulares, sed extra Monasterium, etiam ad inhonesta perpetranda, non peccant contra clausuram.
- 6 Monasterijs Monialium pressis necessitate debetur dimidium omnium eleemosynarum à quibuscumque ubicumque terrarum quacumque dispositione pauperibus faciendarum, nisi sint in pauperes certos eroganda, nec sint ad usus alios, quam sustentationem, destinate.
- 7 Gregorius XIII. praeceptum de dicta dimidia eleemosynarum

synarum non est perpetuum, sed est temporale, donec durat necessitas.

8 Non possunt admitti, & recipi ad professionem plures conuersa, quam sint necessaria ad petendas eleemosynas pro Monasterio; secus tamen seruatur in praxi.

1 R Espondetur, de hac re extat Motus proprius Pij V. incipiens, *Circa Pastoralis*, ubi Pontifex, quando Monialibus deest victus necessarius, & commode per alios eleemosynas illa petere non possunt, statuit, vt eleemosynae per conuersas non professas petantur, & si professae fuerint, sint annorum 40. & in domibus contiguas extra Monasterium degant, nec aliarum Monialium clausuram ingrediantur, nisi in casibus ex ipsarum Constitutionibus permisis, nec ex iis domibus exire valeant ad petendas eleemosynas absque Ordinarij, vel ipsarum Superioris licentia, Quem Motum Pij V. declarauit postea 1572. Gregorius XIII. in Motu proprio *Deo sacris virginibus*, ibi: *Ceterum quod attinet ad conuersas professas, quas Pius V. per praedictas literas sub certis conditionibus ibi contentis permisit posse manere extra Monasteria pro colligendis eleemosynis, eisdem locorum Ordinariis iniungimus, vt quibus Monasteriis praedictarum Monialium, quotidianis laboribus computatis, vel alia qualibet ratione, de sufficienti subuentione, & de sustentatione sufficiens prouisum esse cognouerint, easdem conuersas sub eadem clausura cum aliis Monialibus reducant, nec e suis Monasteriis amplius exire permittant.* Et Zecchius de Republica Ecclesiastica, tit. de Regularib. cap. 3. num. 15. refert S. Cardinalium Congregationem declarasse anno 1573. ad petendas has eleemosynas, non plures conuersas, quam octo, mittendas esse, quae binae incedant, nec disjungantur, & sint vitae probatae, excedentesque annos 39. nec pernoctent extra Vrbes, ubi Monasteria habent, nisi de Episcopi licentia, & tunc simul dormiant. Vnde constat Gregorium XIII. in dicto suo Motu hanc facultatem fustulisse, cessante praedicta necessitate, non autem ea durante. Lezana tom. 1. cap. 25. num. 17. Gauantus in *Mm. Episc. verb. Monialium clausura*, num. 18. & segg. Rodriguez tom. 1. quast. 44. art. 4. & Nauarr. comment. 4. num. 56. qui

4 Subdit primo, quod dum Pius V. in suo Motu prohibet conuersis professis exitum ex domibus illis contiguas ad petendas eleemosynas absque Ordinarij licentia, non prohibeat exitum ad audienda sacra, & percipienda sacramenta, quia Pontifex de solo priori exitu loquitur.

5 Subdit secundo, quod ea domus contigua non sint domus regulares, quia sunt extra Monasterij clausuram: quare si inde egrediantur, etiam ad inhonesta perpetranda, non peccant peccato contra clausuram, sicut dicebam dubi. 4. in fine.

6 Subdit tertio lib. 2. consil. 16. num. 2. de Regularib. (quidquid dubitauerit cit. Comment. 4. num. 54.) quod dum Gregorius XIII. in Motu suo volens exitum harum conuersarum ad petendas eleemosynas impedire, subueniendo aliter praedictae Monasteriorum necessitati praecipiat, vt dimidium omnium eleemosynarum a quibuscumque ubicumque terrarum, quacumque lege, dispositione, vel obligatione pauperibus faciendarum, detur Monialium Monasteriis praedicta necessitate pressis, quae sunt in locis, in quibus illae erogandae sunt; idque sine alio peculiari iussu Pontificis, vel alterius, & sine ulla petitione Monialium, vel quorumcunque aliorum, dummodo duplex conditio concurret: vna ne illae eleemosynae sint in pauperes certos erogandae. Altera, vt licet pauperibus incertis erogandae sint, non tamen sint ad vsum alios,

praeferquam ad pauperum sustentationem destinatae. Ita vt dimidia haec eleemosynarum pars debeat Monialibus, quoties vel pauperibus incertis, & ad vsum incertos eleemosynae sunt destinatae, vel quando sunt destinatae pauperibus incertis ad eorum alimenta; non debeat autem quando pauperibus certis sunt destinatae, vel quando incertis, ad vsum tamen certos ab ipsorum alimentis distinctos, quia sic aperte disponit Gregorius XIII. in dicto suo Motu, *Deo sacris virginibus*.

7 Subdit quarto cit. Comment. 4. num. 55. quod tale Gregorius XIII. praecceptum sit perpetuum, sed temporale, dum scilicet praedicta Monialium necessitas durat, quia sic aperte etiam ait idem Gregorius XIII. in eodem dicto suo Motu, *Deo sacris virginibus*.

8 Ceterum Pius V. in suo Motu, *Circa Pastoralis*, prohibet in posterum receptionem conuersarum, etiam ad professionem emittendam, ibi: *De cetero, nulla alia conuersa professae recipi amplius, etiam de consensu suorum Superiorum possint. Quod si aduersus hanc nostram prohibitionem receptae fuerint, illarum receptio nulla, irrita, & inanis sit, propterea ex nunc illam irritam facimus.* Quem Motum Pij V. sic explicat Gregorius XIII. in suo Motu, *Deo sacris virginibus*, ibi: *Conuersas vero non professas, & profuturi nolentes, dimisso habitu domum remittant; nec alias in futurum; nisi professionem sint suo tempore emissae, atque sub perpetua clausura in Monasterio huiusmodi recipi permittantur. Quod autem idem Pius V. statuit de cetero nullas alias Conuersas professas recipi amplius, etiam de consensu suorum Superiorum posse; ita esse intelligendum declaramus, praeter illas Conuersas, quae extra Monasterium in domibus contiguas degerint.* Ex quibus sequitur, quod ad habitum, & professionem deinceps solum possint recipi Conuersae, quae necessariae sint ad petendas Monasterio eleemosynas, & in domibus ei contiguas habitaturae; & non aliae. Quamuis consuetudine receptum nunc sit, vt & haec aliae admittantur, dummodo legitimam postea professionem emittant; & merito, quia decet, quod in Monialium Monasteriis, sicut & in Monasteriis virosum, quaedam admittantur ad Chorum, quaedam aliae ad ministeria inferiora; idque tum ob Communitatis bonum, tum vt feminae probae, sed dotem non habentes, adhuc Religionem ingredi possint, si non vt sint Choro deputatae, saltem vt sint Conuersae, & inferuiant inferioribus Monasterio necessariis ministeriis: praesertim cum & istarum receptio nihil obstat clausurae; quam vterque Pontifex in vtroque Motu proprio maxime seruandam procurat. Vide quae dicebantur dub. 6. concl. 3. Suar. de Relig. lib. 1. cap. 8. num. 19. Nauarrum loco supra cit. numer. 56. & Rodrig. tom. 1. quast. 44. art. 4.

DVBITATIO XVII.

An Moniali concedi possit egressus ob morbum, quantumvis periculosum, si contagiosus non est? ubi etiam de aliis vrgentiis.

SUMMARIUM.

- 1 Moniali concedi non potest egressus ob morbum quantumvis periculosum, si contagiosus non sit, licet salus eiusdem desperetur.
- 2 Casus exceptus cum dictione taxativa admittit extensionem ad casus similes, vel vrgentiores; non autem ad casus dissimiles, & minus vrgentes.

S 4 Bonum